Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

In empyreo cum angelis. Unde in psalmo Domine probasti me. Sic primus homo erat futurus cum angelis secundum animam, ut et ... et innocens ut angeli.

id est potens mori et potens non mori. Et anima corpori formato post infusa. Sed queritur utrum in ipso corpore dum infunderetur creata, vel extra creata sit, vel datum sit ei naturaliter velle incorporari. Quicquid circa illam factum sit, de posteris creatis dicitur quia in ipsis corporibus dum infunduntur creantur.

De paradiso et lignis eius.

Plantaverat autem dominus deus paradysum voluptatis a principio. Quasi quereret aliquis remansit homo in loco ubi factus est, in agro scilicet damasceno? Non. Ubi ergo translatus est? In paradysum voluptatis, quem deus tertio die plantaverat, id est plantis aptaverat, herbis scilicet et arboribus. A principio scilicet creationis, cum enim apparuit arida et germinare terram fecit. Vel a principio, id est a prima parte orbis. Unde alia translatio habet paradysum in eden ad orientem. Eden hebraice, latine delicie. Et idem est paradysum voluptatis quod paradysum in eden, id est in deliciis. Sed a principio idem est quod ad orientem. Est enim locus amenissimus longo terre et maris tractu a nostra habitabili secretus, adeo editus ut usque ad lunarem globum attingat. Unde et diluvii aque illuc non pervenerunt. Est et paradysus celum empyreum, et dicitur spirituale, quia regio spirituum est. Dicitur et spiritualis paradysus vita beata vel ecclesia. Produxitque deus de humo diversa ligna, quibus delectaretur homo videndo vel vivendo, et sustentaretur edendo. Produxit quidem, id est procul in altum duxit, vel produxit, id est pro homine proprie eduxit. In medio quoque tamquam digniora posuit lignum vite et lignum scientie boni et mali. Dictum est autem lignum vite ab effectu quem habuit naturaliter, ut comestum semper perpetua soliditate hominem firmaret, ita ut nulla infirmitate vel senio vel anxietate in deterius vel in occasum laberetur. Lignum scientie boni et mali dictum est ex eo quod secutum est ex eius comestione. Prius enim nesciebat homo quid esset ~~ho~~ malum, quia nondum expertus. Bonum dicimus sanitatem et firmitatem, malum vero egritudinem et imbecillitatem, que nondum senserat. Cognoverat quidem ea per scientiam, quia ex uno contrariorum cognoscitur reliquum, sed non per experientiam. Ut medicus dum sanus est novit morbos, sed cum egrotat magis cognoscit, quia novit et sentit. Sic de puero delicate nutrito dicitur quia nescit quid sit malum. Immo nondum novit quantum sit bonum et malum. Vel malum dicit inobedientiam, bonum obedientiam, quia post comestionem novit quantum bonum erat obedire, quantum malum erat inobedire. Plato non putans hoc posse convenire arboribus, utrumque hoc de homine dictum estimavit,

et in paradiso

Fronde super viridi.

quia vivit et est sciens bonum et malum, et dixit hominem ipsum vocatum lignum, id est corporeum, ad differentiam spirituum, qui et vivunt et sciunt bonum et malum.

In medio vero positum tradidit, quia homo est qui medius inter creatorem super se positum et sensibilia sub se posita. Discretam vero vitam hominis fuisse creatione a creationibus hominum reliquorum dixit per illa duo addita, vite et scientie boni et mali. Sicut enim in samia figura prius est truncus integer et post in summo bivium, sic homo in primis etatibus quasi tantum vivit, non utens viribus ad intelligentiam datis, sed cum venit ad annos discretionis tunc discernit inter bonum et malum, et tunc sunt primum opera eius bona vel mala. Sed non ita factum est in Adam, immo cum vita data est ei scientia boni et mali, qui dicitur factus est homo corporeus subditus deo, prepositus animantibus, et simul vixit et sciuit bonum et malum.

Y id est pitagorica.

De quatuor fluminibus paradisi.

Et fons vel fluvius egrediebatur ad irrigandum paradysum, id est ligna paradysi. Fons potest intelligi vel abyssus vel matrix omnium aquarum, vel fontes per sylempsim. Irrigare positum est pro ministrare humorem. Dicitur enim terra continuaces humectari a fluminibus per cthoones stadiis duodecim aut sedecim. Qui fons dividitur per quatuor flumina. Unus est dictus Physon secundum Ysidorum, qui a Gangaro rege Indie dictus est Ganges, et interpretatur Physon secundum Ysidorum caterva, quia decem flumina recipit, vel mutatio oris, quia mutatur a facie quam habet in paradyso. Commutatur enim secundum diversa loca tribus modis: in colore, quia alibi clarus, alibi obscurus, alibi turbidus. In quantitate, quia alibi parvus, alibi diffusus. In sensu, quia alibi frigidus, alibi calidus. Hic circuit terram Evilath, id est Indiam, et trahit aureas harenas. Alius dictus est Geon, qui et Nylus, et sonat hyatus terre vel terreus, quia turbidus est. Hic circuit Ethyopiam. Alii duo primis nominibus vocantur Tygris et Eufrates. Tygris animal est velocissimum, et ideo fluvius ille a sui velocitate Tygris equivocatus est. Hic vadit contra Assyrios. Dicit Iosephus quod Tygris dicitur Diglat, quod sonat acutum vel angustum. Eufrates frugifer vel fructuosus, de quo per quas transiret regiones quasi notum tacuit Moyses, quia est in Chaldea, unde venerat Abraham. Hec iiii, ut diximus, flumina ab eodem fonte manant et separantur, et tamen quedam eorum inter se miscentur et iterum separantur. Sed sepe in absorbentur terra et locis tamen in pluribus erumpunt. Inde est quod de ortu eorum varia leguntur. Dicitur enim Ganges nasci in locis Caucasi montis.

Subterraneos meatus.

Sylempsis est cum singularis dictio plurali verbo alligatur, ut nobis sunt mitia poma, castanee molles, et pressi copia lactis.

Frondes super viridi.